

nem etenim illi loco pellere, invocato Jesu, quem Paulus predicabat, nomine, sat-agentes, actutum à Dæmoniaco abrepti, parùm absuit quin suffocarentur. Suppositivos etiam Dæmoniacos suos præsto habuisse Circulatores illos credimus, cum maximè artis suæ experimentum tradere vellent, ac credulis populis persuadere, esse utique in sua potestate, ut à Dæmone inductos morbos depellerent.

Ægrè admittunt adversarii, Dæmonem acceptà à Deo facultate agere in spiritum, & voluntatem hominis; verùm si hæc omnia ad nutum Dei agantur, prona sunt omnia. Profecò malè affectæ valetudines, humorum œconomia turbata, ebrietas, phantasia error, & alia sexcenta manus utique immittunt in omnes animæ nostræ facultates, prohibent, suspendunt: cur ergo tantumdem & Dæmones, id permit-tente Deo, non valeant? Quod passionum sæpè violentiâ quotidie fieri intelligimus, ut agitent, angant, torqueant, (quanta est enim amoris, odii, & ambitionis impo-tentia!) id pariter & à Dæmone jure ti-meatur.

Postremum omnium & validius fortè adversùs Energumenorum veritatem argu-mentum inde repetitur, quòd indicia ambigua sunt maximè, tum Energumenis ip-sis, cum illis, qui de Energumenis judi-cant, spectatis. Indicia sunt, inquam, maximè ambigua; nullo enim argumento satis certo vera à falsis in hac re distin-guerentur. Externa omnia signa, convul-siones, agitationes, clamores & sympto-mata quæcumque, à Dæmone æquè ac à morbo aliquo inducerentur. Occurrerunt etiam interdum ægroti, qui auditi olim sermonis certa vocabula efferunt, qui fu-turorum oracula casu quodam pronuncia-runt. Nihil ergo ex his satis certi ad Energumenos distinguendos.

Reponimus, plures utique Energumeno-rum characteres magis à perspicuitate abesse, quàm pro communi persuasionem; nec nos veritatem alterius cuiuscumque de Energumenis historię defendendam assumi-mus, quàm earum, de quibus in Sacra Scriptura, & in assertis aliis Historiis, quæ sinceritatis suæ ea præferunt argu-menta, quæ ne suspicandi quidem de morbo, de phantasiæ errore aliquo, de fraude & dolo ansam recta judicantibus præbeant. Nihil ad nos de receptis vulgò persuasio-nibus, de immodicâ Dæmonis potestate, de confectis ad libitum prodigiis, cæteris-que creduli vulgi opinionibus. Veritatem tantùm defendimus Sacrorum Textuum, non obscurè præferentium, Jesum Chris-tum, & Apostolos Energumenos curasse, Asserimus enim non in speciem tantùm illos à Dæmone infestatos, eo innixi prin-cipio, hæc incommodorum genera nihil habere repugnans Divinæ potestati, præ-scriptis naturæ legibus, Dæmonum pote-stati; nec sine religionis, & obsequii in sacrum Textum discrimine fidem veritati illi denegari.

Si quis à nobis apertos quærat infesta-tionis Dæmoniacæ non fucatæ caracte-

res, reponimus plures dari probabiles tan-tùm, certos etiam plures. Cum uno veluti impetu sine præcedenti aliqua dispositio-ne homo è statu suo dimovetur, ut in alium transeat longè diversum, cum alio veluti spiritu animatur, angitur, discru-ciat in vitus; cum plura admittit ab in-sistà sibi indole longè aliena, sed ita ad-mittit, ut singularia omnia videantur, & violenta, quæ nunquam ab homine præ-stari posse viderentur, uti cum in aera repente sustollitur, cum res sibi occultas re-ferat; cum, inquam, hæc simul omnia in uno eodemque homine conveniant, ut virorum, quorum sunt mentes à prejudiciis vacuæ, sententiâ aliena esse hæc omnia censeantur à naturali corporis & animæ hominis illius di-spositione, tunc sincera omnia reputanda sunt.

At enim hos simul omnes characteres frustra in Energumenis Evangelii quæras. Utique: sed duo regerimus. 1. Non omnia Dæmoniacorum ejusmodi incommoda narranda suscepisse Sacros Historicos; nec rarò observamus ab altero suppleri circum-stantias ab alio prætermisissas. 2. Omnia si-mul hæc deceptionis pericula subverti à Scriptura, veritatem ejus infestationis asse-rente. Eo testimonio satis abundè supple-tur quidquid alioqui ad veritatem demon-strandam desideratum esset.

Prophanorum Scriptorum, & Hebræo-rum phrasæ, certa quadam morborum genera certis quibusdam Spiritibus asseren-tes, satis probant communem gentium omnium persuasionem, Deum scilicet uti quandoque Diaboli ministerio, malis illis inducendis, quibus interdum affligi mun-dum animadvertimus. Observat Jamblicus (1), nunquam Dæmones spectandos se, vel experimentum sui hominibus præbere, nisi ad prostranda corpora, infligendos morbos, & pondere quodam animas ad terrena inclinandas. Defendit Porphyrius (m), malis hæc Spiritibus accepto refe-renda esse omnia illa, quæ affligendis ho-minibus immittuntur, pestem, sterilitatem, terræ succussiones, siccitates &c. Minutius Felix in Octavio: Impuri Spiritus vitam turbant, somnos inquietant, irrepunt etiam corporibus occultè, ut Spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra disforquent, & ad cultum sui cogunt. Meminit Plutar-chus (n) scæminâ cujusdam, quæ Apollinis sacris præerat à Dæmone, peremptæ.

Quare etsi verum utique reputari pos-sit, interdum humani hunc generis adver-sarium, captatâ morborum & pravaram corporis atque humorum habitudinum op-portunitate, in homines insillire, ac dirè torquere, nunquam tamen talia audere re-nuente Deo censendus; nec rarò ipsi pa-riter Authori tribuendi sunt morbi; ipse corpora & humores, pravis in corpore cau-satis præsentia suâ impressionibus, ad mor-bos excitat, & determinat. Solerter tam-en duo ista mala, Dæmonis nempe infesta-tio, & morbus, quanquam ab unâ & eadè causâ repetita, distinguenda sunt. Quæ autem sedet multis sententiâ, obfes-tionem nempe Dæmonis aliud non esse, quam

1 De Myster. sect. 2. c. 6.

m De abstin. pag. 198.

n De defectu oraculor.

quàm morbum, seu morbi appendicem, errantis phantasiæ ludibrium, emota men-tis & melancholiâ turbatæ phantasma; com-mentum est apertissimum, duo simul con-fundens, quorum alterum cum altero nul-

lam habet necessariam affinitatem. Agi à Dæmone possunt homines integrâ etiam sanitate, & mentis maximè compotes, cum Deus ad justitiæ & potentia suæ glo-riam conferre id arbitratur.

# DISSERTATIO DE SIMONE MAGO.

**M**Irari utique subit, cur tan-ti nominis vir, Simon Magus, scæta numero hominum florentissimæ author, hominibus ad cultum usque venerabi-lis, quem statua honore & divinitate Im-perator ipse ac Senatus in tanta sæculo-rum luce dignum habuerant; virum, in-quam, tantum, qui inter plurimas gentes gestorum suorum gloriâ claruerat, variis Scriptis Operibus illustrem, qui se veluti Numen univèrsum ipsum moderantem ob-truferat, virum, ut iterum dicam, talem tantumque Paganos Scriptores, quorum scripta supersunt, vel latuisse, vel si non latuit, contempti habitum fuisse, ut ne mentionis quidem dignus in eorum Operi-bus duceretur (a).

a Disentia-mus infra quæ habet Dio, & Suetonius, de vi-ro, qui volaturn coram Nerone tenta-vit; quod vulgò de Si-mone didum creditur.

b Act. 8. 1. 5. c. 13. Tunc Simon & ipse credidit. d Constit. Apost. 1. 6. c. 7. Recognit. 1. 1. c. 12. Justin. M. Epiphani. alii. e Ita Autho-res supra cit. Abbas in Petro, alii. f Basnag. Ex. p. 104. 105. D. Le Moine.

fillam meditantem, Simonem quendam Cy-prium magiam profitentem ad foeminam misisse, ut deserere virum suum Azizum suaderet (g). Porro viri isti Eruditi pro Ciritha legendum censent Gitticam, nempe Ciritha Urbe Cypri oriundus. Desunt huic conjecturæ argumenta; nec Josephus Si-monem hunc Ciritha oriundum unquam prodit. Patrem nostri hujus Simonis qui-dam appellant Antonium, matrem Rache-lem. Jactitabat autem insignis ille sedu-ctor æternum esse se, transmeasse verò per canalem Rachelis, ut ad homines veniret.

Cum ergo Philippus & institutione. & Baptismate Christianis sacris imbuisset Sa-maritanos, qui victas manus dederant ad fidem (h), munere suo functus, quòd Spi-ritum Sanctum initiatis conferre nequa-quam valeret, ad Apostolos Jerosolymæ versantes selectos homines misit, invita-turus, ut ad consummandum opus veni-ent. Contulerunt se illic in Samariam Petrus, & Joannes; oblatisque pro Neo-phitis precibus, impetrarunt illis Spiritum Sanctum; cujus præsentia argumentum lu-culentissimum exhibebat collatum illis lin-guarum, & charismatum privilegium.

Tunc Simon, qui in speciem tantùm, ju-xta Patrum opinionem (i), nomen suum dederat inter Fideles, quique prodigia à S. Philippo patrata Magiæ, non Deo tribue-bat; Diacono tandem sanctissimo totum se dedit in clientelam (k); nihil omittens si-ve de piorum operum exercitio, si-ve de jejuniis & oratione (l); corde tamen sem-per ad priora studia & magiam conver-sio, id unicè intendebat, ut magis magis-que nominis sui gloriam augetet (m). Sperabat vir ille impius affecturum se tandem à Philippo insignium illorum mi-raculorum patratorum artem; sed visis Spiritus Sancti donis, quæ manuum Apo-stolicarum impositione conferebantur, il-le pecuniâ tentare viros aggressus est, in aures submurmurans (n): Date mihi hæc potestatem, ut cuiuscumque imposero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existima-si pecuniâ possideri. Non est tibi pars, ne-que sortis in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Penitentiam itaque age ab hac nequitia tua; & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Respondens Simon dixit: Recemini

g Antiquit. 1. 20. c. 5. pag. 693.

h Vide Ab-diam in Petro Recognit. Clem. 1. 2.

i Irenæ. 1. 2. c. 20. August. Hom. 6. in Joan. Epi-phan. hæres. Simon. k Act. 8. 13. Cum baptiza-tus esset, adhe-rabat Philip-po.

l Constitut. Apost. 1. 6. c. 7. m Chrysost. in Act. hom. 18. Aug. in Joan. hom. 6. n Act. 18. 3. 19.



vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum qua dixistis. Hac tantum Scriptura de Simone Mago.

Fatemur tamen, Apostolum identidem in epistolis suis declamare adversus Pseudo Apostolos, inter quos potissimo haberi loco Simonis Magi Discipulos in loco maxime 2. ad Timoth. 3. 13. viri docti suspicantur: Mali homines & seductores proficiunt in pejus, errantes & in errorem mittentes. Tum & in illo vers. 8. Resistant veritati homines corrupti mente, reprobi circa fidem, quemadmodum Jamnes & Mambres resistunt Moysi. Sed ultra non proficiunt & insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. De illo pariter (Simone Mago) interpretantur illud 2. Thessal. 2. 8. 9. Revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum. Cujus est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis eius, qui percutit, eo quod characterem veritatis non receperunt, ut falsi ferent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacium.

De illo pariter ejusque Discipulis dictum reputari potest illud 2. Timot. 3. 2. &c. Scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obedientes, ingrati, scelerati, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.

S. Judas in sua Epistola ver. 4. eisdem pariter Haereticos ceterosque priorum saeculorum suggillat: Subintroierunt quidam homines (qui olim praescripti sunt in hoc judicium) impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes. Nec nisi Simonianos praeculis haberi creditur S. Jacobus, proborum operum ad salutem necessitatem defendens (o); in nullo enim sibi sperandum Haereticis illi dicebant, praeter quam in gratia Simonis; in bonis vero operibus nihil (p), quod scilicet gesta a nobis omnia in medio posita esse crederent, & inter prava & improba discrimen ab Angelis constitutum esse eo consilio, ut sibi homines subderent. Hac superstitione relevati quicumque in Simonem & Helenam sperabant, libera fruebantur agendi pro arbitrio facultate. Contraria hinc statuens S. Jacobus, docet, sine probis operibus fidem profus frigeferere; nec Abrahamum justitiam per solam fidem sine bonorum operum exercitio obtinuisse; uno verbo, adipisci homines justitiam per bona opera, non per fidem tantum.

Atque proferend coloribus Simonem ceterosque ejus gratis hereticos depingit S. Petrus in secunda Epistola cap. 2. 1. &c. Fuerunt vero Pseudo-Prophetae in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui in-

roducent sectas perditionis, & cum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentes eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur; & in avaritia suis verbis de vobis negotiantur. Quibus judicium jam olim non cessat, & perditio etiam non dormitat.

Scitum est, quantam licentiam debaccharentur Simon ejusque Sectatores. Impius enim ille comitem sibi adsciscens Helenam suam, nihil ad crimina sibi faciebat reliquum (q). Hanc foeminam appellabat intelligentiam primam, & rerum omnium parentem (r). Magistri scelera non exprimebant tantum, sed superabant etiam Discipuli; ipsi enim in suis Libris ultro fatebantur, eos, qui exponi sibi primum mysteria Simoniani dogmatis audirent, ad nefanda scelera obstupuisse (s). Nec diutius heresim illam & crimina impunita reliquisset Deum, infra ostendemus; demonstrantes, ideo sceleratos illos extulisse, ut gravius ruerent.

Prosequitur Apostolus Petrus in haec verba. Percipientes mercedem injustitiae, voluptatem, existimantes diem delicias; coingunationes & maculae, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii & ineffabilis delicti. Pellicientes animas inflabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii; dereliquerunt rectam viam, erraverunt, secuti viam Balaam ex Bofor, qui mercedem iniquitatis amavit. Hi sunt fontes sine aqua, & nebula turbidibus exagitata, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vinitatis loquentes, pellicium in desideria carnis luxuria eor, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur.

Quadrant haec omnia in Simonem, virum omnium, quotquot unquam fuerint, corruptissimum, & ad excessum avarum; impium, sacrilegum, in crapulam effrenem; qui pariter affirmabat, Helenam suam prostitutam esse moribus foeminam, emptam a se Tyri (t); ipsam vero esse Helenam belli Trojani olim incendium affirmabat: insuper foeminam hanc primam esse intelligentiam, per quam creare Angelos Summus Pater decrevisset; sed hoc ejus consilium subodoratam Helenam, ad inferiorem regionem delapsam Angelos genuisse, quibus Patris sui nullam indidisset cognitionem. Ex his Spiritibus addebat creatum deinde mundum & homines; sed cum Angeli illi originem suam a femina illa revelari metuerent, ipsam eandem intelligentiam apud se veluti captivam & indigna plurima ferentem retinuisse, reditum omnem ad Patrem pracludentes; immisisse tandem illam in varia mulierum corpora, inter quae locum habet Helena Menelai uxor; ac tandem post varias rerum vicissitudines in muliere illa, quam secum ducebat, constituisse. Hac deliramentorum ejus Haereticis portio: modo de impijs ejus dogmatibus aliqua.

Messiam se jactitabat, & Caelo ad libertatem Helenae restituendam dilapsus; cum veniret autem, varia percurrentem loca, dominantis in illis intelligentiae formam in-

q Justin. Apolog. 2. Iren. l. 1. c. 20. r Iren. l. 1. c. 20.

s Euseb. hist. Eccles. l. 2. c. 13.

u Est. in Coloss. 2. Petav. in Epiph. haes. 21.

t Epiph. haes. 21. Iren. l. 1. c. 20.

x Tertull. Praescript. c. 33. Epiph. haes. 21. c. 4. Theodoret. Haeretic. fabul. l. 5. c. 9.

y Tillem. not. 4. in Simone Magum.

induisse, metu ne alioqui agnitus detineretur. Denique terram assequutus, dicebat, hominis speciem tantum, non rem adoptavi; atque a Judaeis in crucem actus, hac supplicii specie viros simplices fefellit. Gloriabatur pariter, venisse se tanquam Patrem Samaritanis, tanquam Filium Judaeis, & tanquam Spiritum Sanctum Gentibus. E Simonis Libris haec profert S. Hieronymus: Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego omnipotens, ego Paraclitus, ego via Dei.

Nec alium forte quam Simonem, ejusque sectatores spectant illa Apostoli ad Coloss. 2. 8. &c. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundam traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Nemo vos judicat in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomenia, aut Sabbatorum. Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, qua non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae. Simonianos eo loco suggillasse Apostolum credunt Estius & Petavius (u).

Vix fieri posse persuaderemur, Haereticos illos cultum aliquem Angelis impendisse, a quibus dira perpeffa Helena eorum mater, nonnihi arte quadam & dolo, ut illi quidem narrabant, ab eorum se manibus subduxisset. S. Epiphanius haes. 21. c. 4. luculenter asserit, perinde habitos ab Haereticis illis Angelos, veluti acerrimos Dei hostes, & in nostras Potestates extra Pelroma constitutas. Docebant autem, ab Angelis mundum creatum, Prophetas inspiratos, istemque Authoribus obtrusum Vetus Testamentum univertum, cujus unus Liber ab uno singulari Angelo, alter ab altero scriptus esset. Hicce semel persuasi docebant, minas omnes & Oracula Prophetarum contentendas, Legi non tantum non parendum, sed & ejus observationem in discrimen mortis & damnationis inducere.

Alieno licet ab Angelis animo Simoniani, cultum tamen Angelis superstitiosum, impendebant (x), frustra salutem sperari posse asserentes, nisi nefandis sacrificiis Patri per intermedias Potestates, & Principatus singulorum Caesorum, oblatis. Coli ergo Angelos jubebat Simon, non auxilium ab illis obtinendi gratia, sed ut equiores redderentur, neque hominum in hac vita consilis adversarentur, neve post mortem malum illis aliquod molirentur. Ed facile spectat illud Apostoli: In humilitate & religione Angelorum, qua non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae.

Sed in hoc Pauli Textu quadam occurrunt suspicandi argumenta, non aliud quam ad Simonianos spectant Apostolus. Illi enim, quos suggillat, imponere nitentur Colossensibus secundam traditionem hominum in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomenia, aut Sabbatorum; quibus non obicere significantur vel Judaei vel Samaritani (y). Temni enim scimus Moiaicas Leges a Simone, impietatis il-

las accusante, didicante venisse se illis abolendis, earumque dicto obsequentiis damnationem & mortem denunciantem. Reponi tamen potest, Apostolum in eo Textu rem habere non cum Simonianis tantum, qui cultum Angelis superstitiosum impendebant, sed cum ceteris pariter Haereticis, legalem disciplinam cum Evangelii observatione invchere nitentibus.

Estius alique nonnulli tenent, Epistolam ad Ephesios respicere potissimum Simonem Magum ejusque Discipulos, ex Judaeis plerumque & Samaritanis collectos, licentiam qua verbis qua factis commendantes, absurdam insuper jactantes scientiam, sub ignoti sermonis specie viris indoctis & rudibus imponere nitentes (z). Nec immerito etiam arbitratur ille pariter, eundem sibi finem constituisse Apostolum in literis ad Titum, & Timotheum; quae si propius dispiciantur, utique statim intelligemus, Apostolum refutandos suscepisse Haereticum illum ejusque sectatores, quorum infandos mores & crimina tetris coloribus depingit.

Narrat S. Justinus, obivisse Simonem varias gentium Provincias, erroris sui dogmata spargentem, imponentemque falsis praestigis suis viris e vulgo rudioribus, seque veluti Christum obtrudentem (a). Varios ipse per se Libros scripserat (b); alterum addiderunt ejus Discipuli inscriptum: Pradicatio S. Pauli (c). Constitutiones, & Timotheus Presbyter (d) Constantinopolitanus in libello de his, qui ad Ecclesiam accedunt, referunt, Simonem, & Cleobium perniciofa quadam Scripta ad Fidelium deceptionem Jesu Christi & Apostolorum nomine supposuisse; meminit etiam Praefatio Canonum Arabicorum. Concilii Niceni, Evangelii cujusdam a Simonianis fabricati, quod in quatuor partes seu tomos, singulis mundi cardinibus inscriptos, dividebant. Author Operis de Divinis nominibus (e) plura adversus fidem scripsisse Simonem asserit, sub titulo Antiretisticae five Contradictoriae. Sed opportuno sane consilio Opera oblivione digna ita suppressit antiquitas, ut neque reliquum unum superstit.

Cum Tyri verfaretur Simon, prostituta moribus foeminam sibi comparavit Helenam, quam & Selenam, nempe Lunam, appellatam novimus. Hanc, ut supra annotatum est, intelligentiam primam nuncupabat, quae post creatos Angelos variatque rerum vicissitudines in corpus illud foemineum venisset. Corruptissima erat foemina, cum qua nullo se commercio misceri simulabat, re tamen ipsa clam omnibus ita agebat cum illa, quomodo effraenis viri licentia ferebat (f). Cum ipsa arcana cordis sui & scelera communitabat, fidissima pariter illa promovendae haereticis adjutrice usus.

Appellabat interdum Helenam vel Selenam, idest Lunam, seu Minervam; interdum etiam Barbela, nempe filiam Baal; tandem Pruniceam fore Pornicam ac si diceretur impudica, corrupta. E radice Graeca, vocem illam derivari notat S. Epiphanius.

z Estius Praefat. in Ep. ad Eph.

a Apolog. 2. p. 69. Theodoret. de haes. l. 1. c. 1. b Hieron. in Matth. 24. c Cyprian. de Baptismo. d Lib. 6. c. 8.

e Dionys. divin. nom. c. 6.

f Epiph. haes. 21. n. 2.